



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 58. Officium Secretarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

vel alio tempore, quo magis congrua videbitur. Eo autem die fiet Concio, & Communio Generalis. Utque in toto Ordine sit uniformitas, procuretur; ut Festum principale Tertii Ordinis sit [prout multis in locis fit] Festum Stigmatum S. P. N. FRANCISCI. 17. Sept. quod unicum Festum est proprium filiis tanti Patris, inciditque tempore satis commodo; & habeatur tunc memoria Sancti vel Sanctæ, quæ per sortem obtigerit.

Altera Festivitas pro defunctis Fratribus, & animabus in Purgatorio, habenda est omni anno in Mense Novembri, per Ministrum, auxiliantibus reliquis Fratribus, seu illis, qui ad hoc opus apti censebuntur; & expensis satisfiet per Syndicum ex restantibus communibus eleemosynis. Specialiter autem assistet omnibus Congregationibus, tam generalibus, quam particularibus: providebitque per se necessitatibus infirmorum, non excluso tamen Infiruario majore. Incarceratorum refectioni intererit, decernet Eleemosynas ad succurrendum Pauperibus, Orphanis, & Viduis Ordinis; sicque totam in se suscipiet curam, quasi non haberet alios Officiales in adjutorium sibi datos.

#### OFFICIUM SECRETARII.

LVIII. **S**ecretario incumbit tenere librum Receptionum, possessionum, & consultationum Congregationis. Assistere omnibus Congregationibus Generalibus, & Particularibus, cum Voto in illis. Item Ministrum admonere illorum, qui professuri sunt, aliquot diebus ante Professionem; idcirco, ut fiat informatio vocalis secreta de profectu eorum, & assignetur dies Professionis, antequam examinandi sunt Professuri de peritia Regulæ, & Ordinationum. Deinde Secretarii est tempore Professionis annotare nomen, officium, & qualitatem personæ pro-

fessæ; sique urbs sit magna; plateam, domum, & Parochiam, in qua habitat; expediet scedulas iis; qui vocandi sunt ad Congregationes, funeralia, aliæque Ordinis negotia. Nec minùs iis; qui intimant mortem alicujus Fratris defuncti, scribet Decreta, quæ à Ministro & Congregatione ordinata sunt. Etiam Syndico intimabit, quando aliquæ expensæ faciendæ, vel eleemosynæ erogandæ sint.

Tenebit Sigillum Tertii Ordinis, dabitque litteras, seu obedientiales, seu licentiales à P. Guardiano, vel Visitatore & Ministro signatas, cum subscriptione propriâ; extrahendo ex libris Professionum, diem, mensem, annum, quibus professi sunt. Dabit librum Professionum, & investitionum P. Visitatori, ut ex eo calculum Fratrum extrahat, sciâtque ubi habitent, & illi indè constet status Ordinis. Ita ut sint duo libri; alter penes Visitatorem; alter penes Secretarium. Et in eo, quem habebit Visitator, describentur Fratres in oppidis totius Guardianiæ secundum suam antiquitatem. Et alter erit penes Ministrum in quolibet oppido.

#### OFFICIUM DISCRETORUM.

LIX. **D**iscreti erunt ad minimum sex, vel plures, pro exigentia necessitatis; secundum ordinationem P. Guardiani, & Ministri, juxta numerum Fratrum. Et procurabitur, ut sint magis graves, intelligentes, & zelosi, pro honore Dei & Ordinis promovendo. Quandoquidem in Congregatione Guardiani, Ministri, Visitatoris, Secretarii, & Discretorum consistit regimen totius Ordinis, & dare hanc ordinationem multis, foret deordinatio; dare verò omnibus confusio. Et quamvis omnes Discreti possint esse meri Sacerdotes, vel meri Laici; procuretur tamen; ut sint tot ex uno genere,